

tionis genere consentiēt, eiūsq; uim,  
 ac uarietatē subsequētur. C. F. Nun-  
 quid nam de oratore ipso restat? C. P.  
 Nihil sanē prāter memoriā, quæ  
 est gemina literaturæ quodammo-  
 do, & in dissimili genere persimilis.  
 Nam ut illa constat ex notis literarū,  
 & ex eo, in quo exprimuntur illæ no-  
 tæ, sic confectio memoriæ tanquam  
 cera locis utitur, & in his imagines,  
 ut literas collocat. C. F. QVONIAM igitur  
 uis oratoris omnis exposita est,  
 quid habes de orationis præceptis  
 dicere? C. P. Quatuor esse eius par-  
 tes, quarum prima, & postrema ad  
 motū animi ualet. is enim initijs est,  
 & perorationibus concitandus. Se-  
 cunda narratio, & tertia confirma-  
 tio fidem facit orationi. Sed amplifi-  
 catio quanquā habet propriū locū,  
 sæpe etiam primum, postremum qui-  
 dem ferē semper, tamen reliquo in  
 cursu orationis adhibenda est, maxi-  
 méq; cum aliquid aut confirmatum  
 est, aut repræhensum. Itaq; ad fidem  
 quoq;